Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1717) Lauj 1417

# QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ Aprilis.

M. JACOBO RENAUT, Doctore Medico, Præſide.

*Eſt ne vinum Lacti ſuperbibendum?*

CUI ſua valetudo curæ eſt, attendat coctioni primæ. Sanguinis integritas, à quo ferè uno valemus, ægrotamuſque, à chylo pendet. Præter calorem vegetum, fermentum actuoſum, ſpiritus mobiles, bonam ventriculi craſim, alimenta non niſi optima, ſtato tempore, certo quodam ordine aſſumenda ſunt. Calida frigidis, frigida calidis attemperata melius digeruntur: craſſa, tenuioribus ſi incidantur, tenuiora, ſi craſſiorum miſcelâ ad aliquam reducantur mediocritatem, in chylum convertuntur laudabiliorem. Neque condimenta cibis detrahenda, quos ſuaviſſimos ſimul, ad coquendumque facillimos reddunt. Lac vinum ſibi arrogat, quod illi ſi ſuperbibas integræ coctionis commoda experieris.

LAC medicamenti, alimentique partes implet. Dyſentericos, quorum inteſtina ardore immodico conflagrant, mirificè ſublevat. Phthiſici, quorum pulmo ulcere putido ſordeſcit, totumque corpus exſuccum eſt, hoc ſucco recreantur, & eo rore pedetentim perfuſi reficiuntur. Nec minor ejus laus in nutriendo corpore. Lacte nutritur puer in utero concluſus, quod per venam umbilicalem recipit. In lucem editus eo alitur; exprimitur è papillâ ſuctu infantis, aëriſque tum interni, tum externi impulſu. Falluntur qui credunt lac ex ſanguine generari, qui ex utero refluus in ubera per venas Epigaſtricam & Mamillariam, in muſculo recto rariſſimè Anaſtomoſi junctas, migret; & inibi ſuâ purpurâ exuatur. Lactis materies proxima, chylus; hic per arterias fertur in mammas, in quibus glandularum ope à ſanguine ſecernitur, ſimili modo ac bilis in hepate, ſerum in renibus. In omni ætate lacte in vicem cujus vis alimenti feliciter uti licet, atque ut in adverſâ valetudine optimum eſt medicamentum, ſic in ſecundâ alimentum ſaluberrimum, modò rectè conficiatur à ventriculo, quod quidem pulchrè faciet, ſi vinum ſuperbibatur.

VINUM ſuccus eſt è maturis uvis expreſſus, & fermentatione defæcatus. Si nocet uſus immoderatus, moderatus confert plurimùm. Vivifici hujus liquoris tempeſtivo potu partes animatæ vigent, ſplendent ſpiritus, habitus niteſcit, lucet in vultu coloris honos, ubique læta ridet jucunditas, & firmiſſimum ſtat robur. Tot bonorum author eſt, primam alimentorum diſſolutionem dum facit inemendabilem; omnia ſi quidem chyloſeos inſtrumenta reddit vegetiora. Hoc generoſo animata liquore cibis animosè fruuntur, eos mox vincunt, & colliquant in ſuccum æquabilem, ac temperatum. Tantas eſſe vini virtutes non credet is, apud quem vinum audit tanquam venenum, aqua pro nectare habetur, difficillimèque ſibi perſuadebit à vino poſt lac hauſto ejus coctionem juvari, impediri coagulationem, diſtributionem promoveri; quod tamen experientiâ & ratione comprobatur.

LACTIS variæ ſunt ſpecies à variis animalibus, ex quibus trahitur, repetendæ. Vaccinum alendo corpori aptiſſimum. Frequens ejus in victu uſus. Triplex in illo ut in quolibet lacte ſubſtantia diſtinguitur, butyroſa, caſeoſa, & ſeroſa. Lac vaccinum plurimùm habet butyri & caſei, à quibus craſſius redditur; propter craſſitiem non facilè coquitur, ac diſtribuitur. Butyroſa enim, & caſeoſa pars non minimum calori, & fermento ventriculi, ut coquantur, negotium faceſſunt. Calor difficilè mollit caſeum. Fermenti aculei butyro irretiti, aut nullam lactis coctionem aggrediuntur, aut inchoatam relinquunt, aut lac, quod ſæpiſſimè contingit, coagulant. Sic exiens è ventriculo meſenterii venas lacteas ſuâ craſſitie, ſuoque lentore intercludit multorum morborum ſemina ſparſurum. Verum hæc incommoda avertit vinum, quod caloris vires auget, fermenti juvat actionem, ventriculo robur addit, lactis ſubſtantiam craſſiorem, ſpiſſioremque incidit, attenuat; adeò ut ritè coctum lac, ſpiritibuſque vini prægnans venarum tubulos momentò ſubeat, naturæ theſauros, ut nullo penè ſuperſtite excremento, ſic nullo tumultu inſtauraturum.

LAC coagulatum, vitiatumque plurima parit mala. In primis hærens viis inflationes parit, ac tormina. Viſcera infarciens multorum morborum cauſa fit. At cum bellè coquitur, nulla non affert corpori commoda. Sanguinem generat purum, & laudabilem, quo egregiè partes nutriuntur. Corpus humectat, viſcera omnia ſalutari rore perfundit. Uno verbo lactis efficientiam, eximiaſque virtutes nullum aliud alimentum æquiparare poteſt. His ſaluberrimi alimenti utilitatibus non fruuntur illi, quibus diſplicet pro lactis obſonio, vinum.



*Ergo vinum lacti ſuperbibendum.*

Proponebat Pariſiis CAROLUS CONTUGI, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1688.